

veritate, i. e. veraciter. Ita *Lutherus in prima versione*, treulich. Moguntina: die Wahrheit geschworen.

יָשׁוּב non revertetur ab eò:] vel juxta *Campensem*: fidem dedit, quam nunquam violabit. Opponitur hoc humanæ inconstantia, quæ pro ratione temporum variari solet non parum, ad eo ut cui hodie favit, cras infensa reddatur, aliumve præferat, atque sic à promissis, si non palam, saltem clam & corde suo, se avertat, vel pœnitentia tamen ducatur. Id quod à Deo profusus abest, ut qui ipse sui semper simillimus ac idem, *Psal. CII, 28. 1. Sam. XV, 29.*

מִפְּרִי de fructu ventris tui:] h. e. marem ex tuo semine oriundum. Verba hæc sunt jurantis Domini, per mimesin recitata, ante quæ non immerito *Campensis* supplevit: *dicens*. De fructu ventris i. e. filiis, qui è semine in renibus ventris contentò generantur, vide *Psal. CXXVI, 3.* De filiis autem Davidis vide *2. Sam. VII, 12. seqq.* & speciatim de phrasi, *fructus ventris*, quæ tam matris, quam patris soboles, (non solius virginis filius) designatur; vide *Fessel. 1. 1. advers. p. 102. seqq.*

לְכִסֵּי in solio collocabo tibi:] h. e. successorem tibi semper largiar, majestatis regis hæredem, qui te salutet patrem, avum, proavum, abavum, atavum, &c. In Solio autem regio collocari, vel sedere, idem est ac, regem esse: confer *Prov. XX, 8.* rex sedens in throno judicii: item *Psal. LXXXIX, 30.* thronus ejus quasi dies cœli *vers. 37.* thronus ejus tanquam sol coram me.

EXPLICATIO VERSUS XII.

יִשְׁמְרוּ si custodient filii tui fœdus meum:] i. e. si sincere observent conditiones, sibi à me præscriptas, cultum mei sacrum religiose propugnando, justitiam subditis administrando, scandala è populò eliminando, &c. vide *Psal. LXXVIII, 10.* non custodiverunt fœdus meum.

עֲדוּתִי & testimonia mea singula:] sic apte *Junius & Tremell.* expresserunt affixionis peculiarem formam, ubi *Jod* ante se habet *chireck* tanquam in numero singulari, cum tamen adesse deberet *paibach*, (עֲדוּתִי.) Adeoque *Piscator* inadvertentiam suam hîc prodit, scribens: *hæc vox* (singula) *non habetur in ebraeo, neque est necessaria ad perfectionem sententia.* Similis quodammodo affixi ratio est in voce *מִכֹּתֶיךָ* unamquamque plagarum tuarum, *Deuter. XXVIII, 59.* pro *מִכֹּתֶיךָ* plagas tuas. *Kimchi* tamen hîc *cholem* opinatur positum pro *schureck*, ac si esset *עֲדוּתִי* testimonium: id quod affert quidem & *Aben Esra*, adjiciens tamen & eam, quam adduximus modo, sententiam de insolita numeri singularis & pluralis combinatione vel mixtura.

וְיָקֵוּ:] demonstrativum hoc vires habet relativi, sicut *Psal. IX, 16.* in reti, וְיָקֵוּ quod absconderant: item *Psal. XVII, 9. XXXI, 5. XXXII, 8. CIV, 8. 26. CXLII, 4. Prov. XXIII, 22. &c.*

אֶל מִרְיָם docebo eos:] præoccupat hic *Kimchi*, non existimandum, ac si alia post legem *Mosis* doctrina proditura sit, cum solum de jugi per prophetas excitatione hîc loquatur Deus, qua oblivionem fit depulsurus.

עַד וְיָקֵוּ usque in seculum:] i. e. quamdiu stabit orbis, inque eo Israël durabit politia, vel, donec Schilo venerit, ex Juda oriundus, sceptrum à Juda non auferretur totaliter ac finaliter, *Gen. XLIX, 10.* Id autem Schilo vel Messias æternum

Ademum obtinebit regnum, *Luc. I, 32. 33. Act. II, 36. Jer. XXXIII, 15. seqq.* Posteriore modo, nempe de perpetuitate regni usque ad Mesiam, etiam *Cajetanus*, addens, in *Zedekia* hoc promissum finisse, ob degenerantem Davidis posteritatem.

לְךָ tibi:] ut *vers. 11.* (*Campensis*: propter te.) Sine dubiò includitur honor, in *Davidem*, stemmatis regii primam originem, redundans.

EXPLICATIO VERSUS XIII.

וְיָקֵוּ certe:] ita *Muis*. Egregiè connectuntur h. m. tum ecclesiastica, tum politica, quæ ambo in *Zione* concurrebant, tanquam totius regni medullâ aut metropoli.

בְּחַר elegit Zionem:] h. e. præ cœteris terræ sanctæ urbibus peculiariter hanc solam destinavit sibi in domicilium, utut aliæ essent forte antiquiores, ampliores, amœniores, &c. Electio autem hæc innotuit solenniter per ignem, cœlitus in victimam demissum, *2. Sam. XXIV, 18. seqq. 1. Par. XXI, 26.* Confer *Jos. XXXI, 9.* item *Psal. LXXVIII, 67.* reprobavit tabernaculum *Josephi. vers. 68.* elegit tribum *Juda*, montem *Zion*, quem dilexit: *2. Reg. XXI, 7.* in *Jerusalem*, quam elegi præ cunctis tribubus *Israel*. Non male autem monet *Muis*, voce *Sionis* comprehendi etiam montem *Moria*, quippe *Sionis* diversæ partes, pro diversitate regionum, in quas vergebant, diversa etiam nunciabantur nomina.

בְּבֵיתוֹ in habitaculum sibi:] declaratur electionis modus seu terminus, nimirum quod in *Sione*, conjunctoque eidem monte *Moriah*, patetecerit, sibi offerenda posthac esse sacrificia, ad eo ut *arci regis*, regia etiam *Dei ipsius*, adherere debeat domus seu templum, in quo responsa ipse fit daturus, supplicantium preces exauditurus, præsentemque se velut in domicilio quærentibus exhibiturus. Vocem *בְּבֵיתוֹ* habitatio, sedes, nuper vidimus *Psal. CVII, 4. 7. 36.* de civitate *בְּבֵיתוֹ* habitationis seu domicilii constantis. *Pratensis*: concupivit eam in cathedram sibi.

EXPLICATIO VERSUS XIV.

מִנְחָתִי requies mea:] vide *vers. 8.* Iterum per mimesin tacitam *Dei loquentis* recensentur verba, ceu *vers. 11.* Versu hoc audito, post recitatos graduales psalmos antecedentes, *Conradus* ordin. prædic. *Magdeburg.* digitò in cœlum extenso, obit &c. apud *Severan.* exem. mori. p. 153.

עַד וְיָקֵוּ usque in seculum:] quam scilicet non deferam, quamdiu non deseretur ea à vobis, tanquam cultoribus sinceris ac religiosis.

EXPLICATIO VERSUS XV.

בְּחֵיבֵי צִיּוֹן cibo ipsius:] nimirum *Zionis*, ex *versu 13.* cujus nimirum frugibus majorem largiar benedictionem, quam in terris *Israel* aliis, & quidem in gloriam domus *meæ*, quæ in medio ejus. Ita *Kimchi*. Vox *בְּחֵיבֵי* quæ & venationem, *Genes. X, 9. XXV, 27.* & animal venatione captum *ibidem vers. 28. cap. XXVII, 3. seq.* denotat, h. l. complectitur *escam* quamvis, quæ incolæ *Zionis* suam sustentabant vitam. æquæ ut *בְּחֵיבֵי* & raptum, & cibum quemvis. Hinc *Græci Interpretes*, exceptis *LXX.* unò ore, ἐπιτοισιµὸν habent vel οὐδέ τινα, dicente *Hieronymo*. Confer *Jos. IX, 5. 14.* ubi de pane *בְּחֵיבֵי* viatici ipsorum (*Gibeonitarum.*) *Neb. XIII, 15.* die, qua vendebant *בְּחֵיבֵי* cibos omnis generis